



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

III. Et Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

aut virgæ, sed & sibilo ac poppyfmo obtemperet: donec ad minimum fessoris nutum eat, recedat, excurrat, subsultet, transfiliat, in omnem sese motum agitationemque efformet.

III. *Et Deo.* Tales sibi Deus homines expetit, quibus obedientiæ securus dicere possit: *Accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi.* Quos in navim conjiciat, & claudat à foris ostium, quomodo factum Noëmo, ut à Dei voluntate totus pendere, ingressusque ipsius jussu, egredi injussu nequiret. Fulgurum emissiones poeticâ paraphrasi describens Deus, Jobi cap. 38. *Nonne, ait, mittes fulgura & ibunt, & revertentia dicent, Adsumus?* Ita viri boni eant, sed non nisi quò mittuntur, dicantque, *Ecce ego, mitte me.* Pingi solent Seraphini, extentis utrimque alis, velut ad evolandum parati, quò jusserit Dominus. Sic amantes divini obsequii homines non evolent, sed volare parati sint, quando Deus voluerit. Hoc, opinor, Franciscus Sales Gebennensis Episcopus

F de

de se scribebat sub vitæ finem, *Pauca volo, & quod volo, parum volo.*

IV. *Perfectio virtutis inde pendet.* Joannis cap. 24. dicebat Christus Petro: *Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, alius cinget te.* Minus in virtute proveci, quò volunt, ad bona opera ambulant: at proveciores & perfectiores ea faciunt & patiuntur, quæ Deus vult. P. Jacobus Laines, vir magnus è Societate nostra, aliquando cum D. Ignatio, cui in cura Societatis totius successit, familiariter colloquens, falsus est ingenuè, magna sibi esse desideria profectionis in Indias, ad conversionem Infidelium, & propagandum Christi nomen. Cui Ignatius: at ego, inquit, si istiusmodi propensiones sentirem, non antè desisterem, quàm penitus extirpatæ essent, & voluntas mea penderet bilancis instar in æquilibrio. Architectus peritus in area laxa facillimè designârit insigne domicilium: at ubi intra angustias arctatur, neque aream capacem nactus est, spatium non habet explican-